



Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

De eadem re. lxx.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

machinationes quorundam peruersorum hominum sedare, & eliminando purgare deberet. Transacto igitur triduo ieiunio, & sacris lithaniis more debito celebratis, conuenimus in Ecclesia sancti Ioannis Baptista, & moesti coe- sedimus. Tum demum praefatus S. Petri, & domini Ioannis papae missus, proferens chartam apostolicis literis inscriptam qua monebamur, arguebamur, & instruebamur, de omnibus ad veram religionem Christianae fidei pertinentibus. Quae omnia, ut iustum & dignum erat, humiliter accepimus, diligenter tractauimus, & deuoto affectu omnimodo amplectebamur. Ergo euangelicam praerceptionem & institutionem saluberrimam lachrymabili voce protulimus, qua arguebantur Pharisei & Scribae: Mundate, inquit, prius quae intus sunt. Et item: Eijce primum trabem de oculo tuo. Ac propheticum illud: Ruina populi, sacerdotes mali. Perpendentes, & discutiendo nosmetipsos inspicientes, & in medium poenitentiae sanctae digno fructu ad terram nos proiicientes, defleuimus negligentias innumerabiles, & peccata nostra grauissima. Deinde hortu domini Petri contra nosmetipsos, & vitia irati adiunte primo sancto spiritu, & miserante, capitula infra notata, ad correctionem tam nostram, quam Christiani populi statuendo collegimus.

De episcopis qui sibi electos seducunt communicantes cum excommunicatis. Cap. LXIX.

Ex eodem concilio, cap. 6.

SCimus sacra autoritate scriptum, qui excommunicato communicauerit, excommunicetur. In hoc nos fatemur episcopi, & presbyteri, & clerici poenaliter peccasse quod in posterum Deo auxiliante, & emendare & emendari cupimus, & praecipimus.

De eadem re. Caput LXX.

Ex eodem cap. 7.

Placuit sanctae synodo hunc errorem quasi impium ab Ecclesia amouere: quia animarum curam a domino accepimus, non pecuniarum. Inde & reddituri sumus Deo rationem, & accepturi propter suam misericordiam aeternam retributionem, vel iustam damnationem.

De episcopis ut non sint malum exemplum populo.

Caput LXXI.

Ex eodem, cap. 8.

Bonum exemplum populis, seipsos episcopi vel sacerdotes debent praebere, & ostendere non solum dicitur